

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reibel.
1624.

COLLEGII
DE SACRAMENTIS

Disputatio Decima quinta

De

TRANSUBSTAN-
TIATIONE & COMMUNIO-
NE SUB UNA.

Quam

Annunte JEHOVA

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI

S.S.Theol.D.&P.P. Magnifici p.t.Rector.

In Collegio privato examinandam

proponit

JOACHIMUS ENGELBERTUS,

Cryphisvald, Pomeranus.

*Habebitur ad d.19. Novemb. horis pomeridianis
in minori Auditorio.*



WITTEBERGÆ,

Ex Officina Johannis Gormanni,

ANNO M. DC. XX.

COLLEGIUM
DE SACRAMENTIS

TRINIDADIS

THEOLOGICAE

IN

ANNIVERSARIO

SUB PRESENTIO

DR. BALTHASARIS MEISNERI

IN COLLEGIO

JOACHIMUS ENGELSTRITZ

PROFESSOR

IN

EX OFFICIO

END

no
vi
di
pe
ch
on
vit
qu
am
pra
di
lap
ne
del
fac
me
ca





ΠΑΡΑΣΚΕΥΗ ad Controversias
Eucharisticas.

Ingressi per Baptismum
αεγυλαιον & πηγυεγυ, pri-
mam illam portam Gratiae & in-
troitum Sanctorum, recepti qui-
dem sumus in gloriosum Foederis
& gratiosum Ecclesiae contubernium;
nondum tamen locati in sede beatorum, dedimus nos in
viam, nondum pervenimus in Patriam. Hic ergo ut
digne ambulemus, Ductore nobis opus est, & ne in via
pereamus, viatico. Ultrumque praestat Servator noster
Christus: Ipse via, vita & veritas: Ipse Dominus regit
nos, nihil nobis deerit, in loco pascui, ibi nos colloca-
vit, &c. Ipse est panis vivus, qui de caelo descendit: si
quis ederit ex hoc pane, vivet in aeternum. Ipse Dux
& Daduchus noster, si ipsum sequemur praeivium, non
ambulabimus in tenebris. Hodogetici quidem surgunt
pravi, seductores & adversarii multi, cum quibus omnibus
dimicandum. Pontificii coenam immutant, & muti-
lant: Calviniani nucleum eripiunt: Photiniani pla-
ne profanant: Quo ipso quod per divinam intentionem
debebat esse σάαξις, id per humanam depravationem
factum est σύρραξις. Nos regia incedentes, primum
meretricis istius Babylonicae milites in arenam provo-
camus, & hac vice duas ejus regni columnas precipuas

Transsubstantiationem & Communinem sub
unâ demoliri conamur. Dominus exercituum
nobiscum!

TRANSSUBSTANTIA- TIO.

I. Principio, quis sanus non exhorresceret portento-
sum hoc & insolitum TRANSSUBSTANTIA-
TIONIS vocabulum? quod si, ut nomina aliâs esse
solent, nota est atq; cubile rei, certè aliquid monstri a-
let, barbariq; ac peregrini dogmatis index erit.

II. Et ita est: Dogma de Transsubstantiatione no-
vum est & veteri Ecclesie insuetum. Ante tempora
enim Innocentii III. nec rem nec vocem fuisse cognitam
ex testimonio ipsius Lombardi constat, qui lib. 4. Dist.
II. ita scribit: Si quæretur, qualis sit illa conversio,
an formalis, vel substantialis, vel alterius generis
definire non sufficio.

III. Seminaria quidem ejus ante illa tempora spar-
sa fuere: Cum enim Patres quidam nimis hyperbolicè
de Transformatione Elementorum in Cœnâ Domini
concionari cœpissent, unâ cum Scholasticâ Theologiâ in
Galliâ disputari ceptum fuit de modo illius Transforma-
tionis: Sententiis tamen non convenere.

IV. Donec tandem Innocentius III. circa annum
Domini 1200. in Lateranensi Concilio, modum con-
versionis antea in Ecclesiâ non definitum, primus deter-
minavit, & dogmâti novo novam etiam indidit appel-
lationem, corpus scilicet & sanguinem Christi in
Sacramento altaris sub speciebus panis & vini
vera-

ab
L
o-
-
se
a-
o-
ra
m
ft.
o,
is
r-
ce
ni
in
a-
m
m-
r-
el-
L
ni
a-
veraciter contineri, transubstantiatis pane in
corpus & vino in sanguinem potestate divinâ.
Quam sententiam ipse deinde Innocentius sæpe repe-
tiit, Scholastici cupide ad exercenda spinosa ingenia ar-
riperunt, & cæteri Pontificii filii, tanquam articulum
Fidei ad hanc usque lucem miseris conscientis sub Ana-
thematis fulmine obtruserunt.

V. Adversum hos ne Audabatarum more dimicemus,
ipsum Sphynxis hujus Babylonice jugulum petemus, con-
stituendo certum controversiæ statum.

VI. Thesis ergo Pontificiorum hæc est: Si quis di-
xerit, in sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramento re-
manere substantiam panis & vini, unâ cum cor-
pore & sanguine Domini nostri Jesu Christi, ne-
gaveritque mirabilem illam & singularem con-
versionem totius substantiæ panis in corpus, &
totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus
duntaxat speciebus panis & vini, quam quidem
conversionem catholica Ecclesia aptissime Trans-
substantiationem appellat, anathema sit. Con-
cilium Trident: Sess. 7. c. 4. Can. 2.

VII. Nostra hæc est: De Transubstantiatione
subtilitatem Sophisticam nihil curamus, quâ
fingunt panem & vinum relinquere & amittere
naturalem suam substantiam, & tantum speciem
& colorem panis, non verum panem remanere.
Optimè enim cum S. Scriptura congruit, quod
panis adsit & maneat, &c. Articuli Smalkald.
part. 3. art. 6.

VIII. Priusquam autem nostre sententiæ funda-
A 3 mina

mina moliamur, libet statum illum Papisticum ejusque columnas prius evellere, easq; 1. ex Scripturis, 2. analogia Fidei, 3. recta Ratione, 4. patrum, 5. ipsorumque adversariorum confessionibus evertere.

IX. Sacra Scriptura in constituendis articulis Fidei utramq; paginam facit, ita quidem, ut quicquid extra hanc dicatur, eadem facilitate reiici possit, quâ admitti. Cû primis verò tenet hoc in Testamento ipsius Filii DEI, in quo nobis corporis sui *σώματος* & realem exhibitionem ordinavit. Nam si hominis Testamentum quando comprobatum est, nemo reiicit, aut addit aliquid; quanto minus verbis Testamenti Christi aliena affingenda sententia est, quam verba ipsa non largiuntur. Iam Christus Testamentum hoc instituens & Evangelistæ institutionem repetentes omninò tacuerunt de Transsubstantiatione, imò etiam in Scripturâ reliquâ nullum istius mutationis fundamentum vel indicium extat.

X. Quantum verò verba illa à Testatore Christo prolata, ab ejusque Notariis Evangelistis consignata pro nobis faciant, ita ostendo: Illud dedit discipulis Christus & illud manducarunt, quod accepit fregitque. Atque verum & substantialem panem, non nudam tantum speciem vel accidentia accepit & fregit: Talem ergo Apostoli manducarunt.

XI. His subscribit Doctor ille Gentium, qui accepit à Domino quod hoc quoq; in articulo nobis tradidit; ita autè tradit, 1. Cor. 10, 16. Panis quem frangimus nonne communicatio corporis Christi est? Sermo igitur

tur

tur ipsi est, de tali pane qui frangatur: Iam nuda acci-
dentia nequeunt frangi. Tum panem istum consecra-
tum vocat *νοῦν* *ὡς* *ὁ* *λόγος* corporis. Proinde non est corpus
ipsum. Porro calicem quoque communicationem esse
sanguinis asserit. Ut ergo per calicem, verum, non trans-
substantiatum intelligit calicem, ita & per panem.
Adde quod aliquoties 1. Corinth. 11. in ipso cœnæ usu &
expresse panem nominet, ut vers. 26. 27. 28. Ecquid ergo
absque cogente ratione, quæ hic tamen nulla est, à pro-
prietate literæ secedere juvat?

XII. Deinde ab Analogiâ Fidei argumenta depro-
mimus, & primò quidem à Comuni Sacramen-
torum natura. Conveniunt omnia generalibus qui-
busdam affectionibus in primis duo illa Nov. Testam. Sa-
cramenta, inter quæ magna quædam similitudo inter-
cedit. Nullum tamen conjunctum est cum Transsub-
stantiatione, nec ipse Baptismus: sicut ergo aqua in Ba-
ptismo non Transsubstantiatur, ita nec panem in cœnâ
immutari certum est.

XIII. Secundò à distinctis cœnæ partibus. Sal-
vator dixit seorsum, Hoc est corpus meum, & seor-
sum: Hic est sanguis meus. Si autem vi horum ver-
borum fieret Transsubstantiatio tunc seorsum produce-
retur corpus, & seorsim sanguis, corpusq; sine sanguine
constitueretur, & sanguis sine corpore, nec enim potest
panis transsubstantiari in sanguinem, nec vinum in
corpus.

XIV. Tertio à materia Sacramenti. Irenæus,
inquit, omne Sacramentum constat re' cœlesti

& terrestri. Verum si Transsubstantiatio ponatur, altera pars Sacramenti tollitur, externum nempe elementum.

XV. Quartò ab absurdis consequentibus. Dato uno absurdo sequuntur infinita: ita data hac Transsubstantiatione, sequeretur, Gloriosissimum nullisq; mutationib. obnoxium Christi corpus, aut de novo creari, aut generari, aut ex materiâ panis conflare. Sequeretur, Sacerdotem esse vel factorem vel creatorem aut productorem ipsius Ἰερωθεωπῆς ; licet non defuerint, qui ita blasphemare non erubuerunt. Et quæ sunt infinita alia, quæ apud otiosos Monachos, & qui de ejusmodi eorum ineptiis petuliarem tractatum conscripsit, Holderum in mure exenterato legi possunt.

XVI. Tertiam classem argumentorum suggerit nobis recta Ratio. Tollit TR. omnes veræ prædicationis affectiones. Nam si ex pane fiat corpus Domini vi verborum, Hoc est corpus meum, tunc panis, qui per particulam hoc demonstratur, verè erit corpus Christi: Iam vero in illo instanti, quando pronomen istud profertur superest panis, nec substantia ejus tollitur ante finem prolationis. Eoq; cadunt illæ propositionis affectiones, 1. ut prædicatum verè dicatur de subjecto, 2. ut in propositionibus, aliquid esse affirmantibus detur verum subjectum. Sin autem corpus Christi demonstratur sub specie panis, tunc violabitur illa prædicationis affectio, qua requiritur, ut aliud sit prædicatum, aliud subjectum: Hic autem est ταυτολογία hunc inferens sensum: Hoc corpus est corpus meum.

XVII. Evacuat naturam Accidentis; Hujus e-

nim

l-
e-
o
b-
a-
ut
a-
o-
a-
a,
m
m

nim esse est inesse. Ubi ergo inveniuntur accidentia pa-
nis, ibi eorum subjectum sit oportet. In cœna autem in-
veniuntur, ut color, sapor. E. & ipsa panis substantia ibi
erit.

XVIII. Alterationis quoque leges transcendit, quæ
substantiam prærequirit, non nudat species aut acciden-
tia. Iam verò in ipsis Elementis consecratis, vel ut ipsi
volunt, Transubstantiatis, alterationem factam fuisse,
testis est experientia. Nascuntur vermiculi in pane con-
secrato, vinum benedictum acescit, calefcit, congelascit.
Ergò non panis & vini accidentia, sed panis vinumque
ipsum, quod istas alterationes recipiat, adsit necessum
est.

XIX. Tandem sensibus ipsis glaucoma hoc suo do-
gmate offundunt Papistæ. Visus, gustus, tactus & olfactus
probant superesse in cœnâ panem vinumque; ac nihilo-
minus contra hoc concors sensuum iudicium, ista ne-
gant adesse. Cum tamen sensus circa sensibilem
substantiam, organo & medio rectè disposito falli ne-
queant.

XX. Planè hoc quidem verum est, quod ratio & veri-
tas autoritati præponenda sint: Attamen, si autoritati
veritas suffragetur, nihil oporteat firmitus retineri. De-
monstrato ergò tot rationibus dogmatis Pontificii erro-
re, Patrum cohortes in arenam producere possumus,
quos ipsi aliàs in acie constituere solent. Acquiescimus
autem uno Chrysofomo ad Cæsarium: Antequam sanctificetur panis, panem non inamus: di-
vinâ autem illum sanctificante gratiâ, mediante
Sacerdote, dignus est habitus Domini corpori-
appels

appellatione, etiamsi natura panis in ipso permanfit.

XXI. Ex quo simul conspicuum est, quid veteres intelligi velint, quando loquuntur de Transmutatione & conversione panis & vini in Eucharistia; non mutationem substantialem, sed Sacramentalem, que Elemento externo, *ἢν ὡς ἕσπετος ἕσπιας*, manenti adiciat gratiam, scilicet illam, ut fiat symbolum Sacramentalis dispensationis. *ὄυ τὴν φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τὴν χάριν τῆ φύσει ὡροσεθενκῶς*, Theodoretus in Dialogo.

XXII. Ad extremum opponimus Papiculis Gelasium ipsum Papam, qui merito illis omni exceptione major esse debet. Sic autem iste scribit contra Eutych. Per Sacramentum corporis & sanguinis Domini, divinae efficimur confortes naturæ, & tamen non esse definit substantia vel natura panis & vini. Testimonium hoc tam perspicuum est, ut Contarenus in Colloq. quodam Ratisp. Anno 1541. isto audito obstupuisse dicatur: referente Chemnit. Part. 2. Exam. p. 145.

XXIII. Argumenta si consideramus, quæ pro sua opinione ex Scripturâ afferunt Pontificii, pro ea facere non possunt, cum Scotus, Durandus, Biel, & c. ipsi fateantur, **TRANSUBSTANTIATIONEM** ex S. literis probari non posse. Raro quoque argumenta ipsis suppeditare nequit, cum fateantur **TRANSUBSTANTIATIONEM** censcendere omnem Rationem & miraculorum omnium longè maximum esse miraculum. Proinde cum suo se jugulent gladio,
stricci-

strictius eos non invadimus, sed ad alterum errorem per-
gimus.

COMMUNIO SUB UNA.

XXIV. De Communionem sub unâ licet Romanenses
tum inter sese, tum à priscis haud parum dissentiant; ex
Praxi tamen Ecclesie Romanae frequentatâ constat,
Laicos omnes religiose excludi à perceptione calicis, &
ad solam panis usurpationem admitti.

XXV. Cui Sacrilegio justè nos contradicimus, svaden-
tibus iterum 1. Institutione Christi, 2. aliis Scriptu-
ræ Testimoniis, 3. analogiâ Fidei, 4. Autoritatib.
Patrum & suffragiis quorundam adversariorum.

XXVI. Canon est Theologicus: Quodlibet dogma ex
propriâ suâ sede, in quâ describitur & proponitur de-
monstrandum est. Quia ergo verba Institutionis præbent
genuinam hujus articuli sedem, Communionem sub u-
traq; ex illis probamus.

XXVII. 1. Ab utriusque Symboli distinctâ ap-
pellatione & institutione. Calix benedictus Sacra-
menti à Christo instituti pars est, & in Institutione pri-
mâ, veluti pars distincta exprimitur. Ideo sine mutila-
tione ejusdem omitti nequit. 2. à distinctâ actio-
num Sacramentalium expressione. Christus duas
distinctas actiones Sacramentales instituit, ita ut cor-
pus manducari non bibi, sanguinem bibi non manducari
jusserit. E. utramq; actionem bibitionis æque ac mandu-
cationis observari voluit. 3. ab universali mandato
Christi, Matth. 26. v. 28. Bibite ex hoc omnes. E. bibant
& Laici.

XXVIII. Sed excipiunt, voculam omnes esse particula-
rem & ad solos Apostolos restringendam, cum
aliâs etiam infantibus bibere tenerentur. Respon. Nec
nos illam tam absolute de universo sine discrimine ho-
minum genere & ordine, sed restrictè de omnibus illis
qui se ipsos probare & sic de pane isto edere & vino bi-
bere potuerunt, accipimus.

XXIX. Nec solis id dictum esse Apostolis conceâimus,
ita ut reliquis ad Apostolorum & Sacerdotum ordinem
non pertinentibus calix sit denegandus; Certe non: Apo-
stoli enim in primâ illâ cenâ non ordinem Sacerdotalem,
sed totam Ecclesiam communicantium repræsentarunt.
Et hic est, ubi Sacerdos nihil differt à Laico, scili-
cet ubi est fruendū reverendis mysteriis. Chry-
sost. in Homil. sup. 2. Cor. 8.

XXX. Potest, ajunt, concedi, quod Servator sub utraq;
instituerit, propterea verò non sequi, quod utrumque
usum præceperit: Aliud esse institutum, & aliud præ-
ceptum, nec ab illo ad hoc trahendam consequentiam.
Sic multa, scribit Becanus, à DEO instituta sunt, quæ
tamen omnibus præcepta non sunt, ut matrimonium,
ordo Ecclesiasticus, &c.

XXXI. Respondeo brevibus, ad quod ab Excell. Dn.
Præfide Part. 2. Philos. Sobr. p. 752. responsum est
prolixius: Petit distinctio hæc principium; imò nulla
est: Institutionis enim quasi anima est, ut fiat id quod
instituitur, ab illis pro quibus instituitur. Ita qui ma-
trimonium instituit præcipit idem, ut sint duo in carne
unâ: Illis, qui sacrosancto Ministerio consecrati sunt,
neces-

necessitas incumbit ut evangelizent. Ve enim illis nisi
Evangelizent, 1. Cor. 9, 16.

XXXII. Loca quibus comprobare annuntur, Chri-
stum etiam usum unius speciei & verbis & facto compro-
basse, vel non agunt de Sacramentali manducatione ut
c. 6. Johan. Lucæ 24. Vel si maximè agerent, furtum
tamen calicis propter Synecdochen sacris usitatam pab-
liare non possent. Patrum quoque nonnulli; qui loca ta-
lia ad negotium cœnæ retulerunt, populariter & exo-
tericè potius, quàm acromaticè loquuti sunt.

XXXIII. Nos pergitur nostram sententiam in ver-
bis Domini Testamentariis fundatam aliis Scriptu-
ræ suffragiis munire, quorum primum ab esseveratio-
ne Paulina 1. Cor. 11, 23. desumitur: Ego accepi à Domi-
no & tradidi vobis: Tradidit autem Paulus, utramque
speciem à Laicis quoque sumendam esse. E. hæc traditio
omnes obligat. Fundata enim est in ipso Christi præce-
pto; & si vel maximè talis non esset, sufficeret tamen
hæc traditio nobis contra Pontificios, qui Traditiones
Ecclesiasticas pari pietatis affectu & reverentiâ cum li-
bris V. & N. Testamenti suscipiendas esse disputant.

XXXIV. Secundum ex vers. 26. 28. 29. quibus Paulus
copulat manducationem & bibitionem, ceu duas ne-
cessarias unius Sacramenti partes. Qua ergo religione
quod Apostolus conjungit, Papicola separant?

XXXV. Reponunt: vers. 20. 23. 24. Paulus meminit
tantum manducationis. Respon. At dememinere ipsi, Sy-
necdochen illam Scripturis non esse infrequentem, ut
unâ specie nominatâ totum Sacramentum intelliga-
tur, præsertim cum jam constet ex contextu, quod in

Corin-

Corinthiacâ Ecclesiâ species utraque fuerit in usu. Confer vers. 20. quo per manducationem cœne totius Sacramenti perceptio notatur, & vers. 21. 26. 28. ubi esus potusq; jungitur. E. ab inclusivâ ad Exclusivam non valet sequela.

XXXVI. Urgere quoq; contra Pontificios optimè possumus, cap. 6. Joh. vers. 53. quamvis alias probe sciamus, in hoc capite non agi de Sacramentali manducatione, sed spirituali; ab hac verò ad illam non procedere argumentationem. Ita tamen ex hypotnesi adversariorum ad Eucharistiam illa verba referentium rectè proceditur: Filius hominis copulat manducationem carnis & bibitionem sanguinis tam arctè, ut quò utraque non fruatur, vitam non habeat. Utraque igitur necessaria.

XXXVII. Fidei deinceps & rectæ Rationi, quid magis dissonum, quam ipsa surreptio calicis? Paulus 1. Corinth. 11, 20. hoc Sacramentum nominat cœnam Dominicam, Hieron. patresq; alii convivium: Quale autem convivium, ubi potus denegatur?

XXXVIII. Abducuntur homines surreptione calicis à fine Sacramenti, qui est commemoratio mortis Domini, in quam vel maxime deducimur per calicem, in quo sanguinem pro nobis in morte effusum accipimus. Ut ergò panis necessarius est in commemorationem corporis traditi, ita calix in commemorationem sanguinis effusi.

XXXIX. Vera consolatio adimitur: Pulcherrimè enim Lutherus inquit: Mandatum Christi de pocu-

poculo comprehendit vinum: vinum comple-
tetur sanguinem Christi, sanguis Novum Testa-
mentum, Testamentum verò remissionem pec-
catorum. Hæc bona omnia tollit, qui poculum è
cœna tollit.

XXXIX. Praxis refragatur Apostolica: Non so-
lùm enim ipsi Apostoli omnes ex poculo biberunt, Marc.
14, 23. sed omnes communicantes idem observare jusse-
unt, I. Cor. 11.

XL. Tandem: Si Laicis potest adimi pars Cœnæ, cur
non posset tolli pars Baptismi & penitentiæ? Si Laicis
non præceptus est calix cur quandoque conceditur? Fit
id, inquiunt, non ex præcepto Christi, sed singulari in-
dulgentiâ Papæ. Papæ!

XLI. Possemus hic familiam Patrum ascribere, tan-
tum non execrantium hoc Sacrilegium, ut vocavit
Leo Serm. 4. Quadrag. Possemus ex jure Canonico
ex Scholasticis, & ipsis Pontificiis suffragia petere, si
tantum prolixitatem mensura thesaurum pateretur. Sit
unus instar omnium, Julius I. ad Ægypt. Episcopos
ita scribens: Mutilationem illam contrariam
esse ordini divino, Apostolicis institutionibus,
Evangelicæ Doctrinæ & Ecclesiasticæ consuetu-
dini. Et hæc ipsa fuere summa nostrorum argumeto-
rum capita.

XLII. Sunt quæ contrariæ opinioni patrocinari vi-
dentur; quorum familiam ducit Concomitantia ista
Papalis, quæ fieri dicunt, ut sub specie panis non tantum
corpus

corpus, sed & sanguis, itemq^{ue} sub specie vini non tantum
sanguis sed & corpus Christi manducetur ac bibatur.
Verum observata distinctione inter presentiam natura-
lem, personalem & Sacramentalem subtilitas ista ex-
spirat; ita ut licet concedamus concomitantiam corpo-
ris & sanguinis naturalem, λόγος personalem; non ta-
men statim sequatur concomitantia seu connexio Sa-
cramentalis, quæ ex solis petenda est verbis Institutionis


Reliqua quæ Contra haberi possint συζητήσας ipsi,


& examini prestantissimorum Dn.

Commilitonum relinquo.

F I N I S.








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



REGII
 AMENTIS
 ecima quinta
 SUBSTAN-
 COMMUNIO-
 BUNA.
 am
 JEHOVA
 RESIDIO
 RIS MEISNERI
 Magnifici p.t. Rector.
 to examinandam
 ponit
 ENGELBERTUS,
 Pomeranus.
 emb, horis pomeridianis
 Auditorio.
 BERGÆ,
 annis Gormanni,
 M. DC. XX.

